



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Syntaxis Historiæ Evangelicæ

Cope, Alan

Lovanii, M.D.LXXII.

108. Iesus appropinquans vrbi Hiericoni, tribuit videndi facultatem c[a]eco mendicanti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47925](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47925)

C A P. 108. Iesus appropinquans urbi Hiericom, tribuit videndi facultatem cæco mendicanti. Luc. 18. * 107.

S. Matthæus, Marcus.

S. Lucas.

S. Iohannes.

FACTUM est aut, cum appropinquaret Iericho, cæcus quidam sedebat secus viam, medicas. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. dixerunt autem ei quod Iesus Nazarenus transiret. Et clamavit, dicens, Iesu fili David miserere mei. Et qui præibat, increpabat eum ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat, Fili David miserere mei. Stans autem Iesus, iussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogavit illum, dicens, Quid tibi vis faciam? At ille dixit, Domine ut videam. Et Iesus dixit illi, Respice, fides tua te saluum fecit. Et cõfestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem deo. * 109

C A P. 109. Zachæus Publicanorum princeps Iesum hospitio excipit. Luc. 19. * 108.

S. Matthæus, S. Marcus.

S. Lucas.

S. Iohannes.

ET ingressus perambulabat Iericho. Et ecce vir nomine Zachæus: & hic princeps erat publicanorum, & ipse dives. & quærebat videre Iesum quis esset: & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum ut videret eum: quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum Zachæe, festinas descende: quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinas descendit, & excepit illum gaudens. Et cum videret omnes, murmurabant, dicentes quod ad hominem peccatorem diuertisset. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum, Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquid defraudavi, reddo.